



## **Crisis Theologica**

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,  
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi  
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

**Casnedi, Carlo Antonio**

**Ulyssipone, 1711**

§. VII. Contradictiones, & inconsequentia Palanci.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84783](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84783)

*Affirmat, & negat, dictamen conscientie debere esse speculative verum, n. 385.*

*Doctrina, & ejus praxi contradicunt, n. 386.*

*Obligat, & deobligat a tutiori, n. 387.*

*Affirmat, & negat, solam veram esse tutam, n. 388.*

*Licet, & non licet sequi probabile, ib.*

*Licet docere ut licitum, quod non licet practica- re, n. 389.*

*Licet, & non licet sequi minus tutam, si pro tu- tori stet unus, n. 390.*

*Alia contradictoria, n. 391-392.*

**M** Ag. Baro d. 2. sect. 2. art. 2. ait, quod opinio stans pro libertate est tantum speculative probabilis; & tamen tucur in praxi plures stantes pro libertate, quas dedi d. 10. n. 104. & d. 11. n. 142. tamquam practice probabiles.

**A**fferit, ut dixi d. 8. n. 62. rationes contra fidem esse probabilissimas, & fortissimas, & quasi cogentes intellectum; & tamen negat rationes probabiles manere probabiles in conspectu probabiliorum: ergo praeter non modicum absurdum, non minor est inconsequentia affirmare rationes contra fidem esse probabilissimas, stante in oppositum certitudine fidei; & deinde negare rationes minus probabiles manere probabiles, stante probabilitate oppositarum.

**A**ffirmat, & negat, quod intellectus afferenti possit aequè probabili, ut dixi d. 8. n. 240.

**A**ffirmat, quod ultimum conscientie dictamen debeat esse certum de licentia operationis, & quidem certitudine speculative; & tamen concedit satis esse ut dictamen prudentiae sit practice verum; illud docet d. 2. sect. 2. hoc docet d. 1.

**N**egat licitum sequi minus tutam, nisi sit infinitis partibus probabilior tutiori; & tamen plurimas, ut dixi d. 10. n. 98. & 104. & d. 11. n. 142. minus tutas secutus est, quae sane non sunt infinitis partibus probabiliores tutioribus.

**O**bligat, ut dixi d. 10. n. 101. in Morali- bus ad tutiorem licet minus probabilem; & tamen, ut dixi d. 10. num. 163. docet licitum usum opinionis, dummodo sit practice probabilis, imò plures minus tutas secutus est.

**A**ffirmat, ut dixi d. 10. n. 152. nullam opi- nionem, quantumlibet probabilem, si falsa sit, esse tutam; & tamen negat solam veram esse tutam; immò docet licitum sequi opi- nionem practice probabilem, & dicit, se non damnare probabiles opiniones, sed tan- tum tenuerit probabiles, ut dixi d. 10. num. 163. & 101.

Tom. II.

**A**fferit, ut dixi d. 10. n. 194. licitum docere aliquid non licitum, quod tamen est illicitum in praxi. Hoc autem praeter impli- cantiam (quomodo enim potest sine peccato doceri ut licitum, quod non est licitum?) est evidenter falsum.

**A**it, ut dixi d. 10. n. 192. mille Doctores nec probabilem, nec tutam facere opinionem faventem libertati, si unus Doctor stet pro lege; & tamen plures stantes pro libertate se- cutus est, stantibus multis Doctoribus pro opinione pro lege. Imò si ea verba in rigore sumantur, innuere videtur, quod nulla opi- nio stans pro libertate possit esse tuta, aut probabilis; si enim mille DD. non reddunt tutam, & probabilem, nescio quae autoritas satis sit: & tamen, ut dixi d. 10. n. 102. ait veritatem practicam esse contentam proba- bilibus, & ubi non est evidentiā, adgren- dum sapientibus; ergo mille Doctoribus, et si unus stet pro opinione pro lege.

**C**oncedit cuique licitum ex aequè proba- bilibus, si una stet pro officio, alia pro hone- sto, licitum sequi quamlibet; & tamen sepe ad invicem una est tutior simul, & minus tuta sibi opposita, ut dixi d. 8. n. 463.

**T**andem affirmat, & negat quod summè probabilis sit tuta. Affirmat, & negat, quod sola opinio vera sit regula morum. Affirmat, & negat licitum sequi probabiliorē tutio- rem, ut dixi d. 10. n. 105. ubi alias ejus con- tradictiones dedi n. 107.

§. VII.

*Contradictiones, & inconsequentie Palanci.*

SUMMARIUM.

*Affirmat, & negat, prudentiam distare falsum, num. 393.*

*Ait, iudicium falsum elici à prudentia, nec ta- men esse prudenti, n. 394.*

*Ait, errorem veritatis esse inculpabilem post de- bitam inquisitionem, & negat talem esse erro- rem legis, n. 395.*

*Affirmat, & negat, utramque contradictoriam esse eidem intellectui absolute simul probabi- lem, n. 396.*

*Affirmat, & negat, probabilem in conspectu pro- babilioris esse probabilem, quia non omnis pro- babilior est modalis, ib.*

*Affirmat objectum prudentiae non debere esse om- nino certum; & negat iudicium falsum esse prudenti, n. 397.*

*Alia contradictiones, n. 397-398.*

*Affirmat, & negat simultaneam probabilitatis, n. 400.*

*Vel non licet sequi probabiliorē, vel licet minus probabilem, si ejus ratio tenet, n. 401.*

P Obligat.

Obligat, & non obligat ad suspensionem iudicij, quando tutior est æquè, aut minus probabilis, n.402.

Si non gravis probabilior est modalis, licet sequi minus probabilem, n.403.

Si error displicet Deo, excusat, & non excusat à peccato, ib.

Obedire conscientia invincibili erronea est, & non est liberum, n.404.

Contradictio circa legem, quod quoad vim preceptivam non limitetur ab intellectu, n.405.

Lex Dei directæ vera est, & non est prima regula, n.406.

Ruunt omnia ejus argumenta, si licet inter non oppositas sequi minus probabilem, n.407.

Intellectus potest, & non, physice assentiri minus probabili, & minus probabilis manet, & non manet probabilis, ib.

Plures alia contradictiones, quod tutior æquè probabilis sit, & non sit regula, n.408.

Affirmat, & negat, legem in re existentem esse satis intimatam, n.409.

Obligat, & non obligat ad tutius, quoties non discernitur probabilior, n.410.

Notandum valde, quod dicit de legis observantiâ, n.411.

Si teneor vitare re ipsâ semper peccatum materiale, teneor, & non teneor semper ad tutiorem, n.412.

Tenebor, & non tenebor, quando non apparet probabilior, n.413.

Probabilioritas est, & non est via legis, n.414.

Alia inconsequentia, n.415. 416.

Affirmat esse certum non repugnare, & ait, repugnare simultatem probabilitatis, n.417.

Defenditur P. Cardenas, & inconsequentia Palanci, n.418.

Contradictio, & confusio veritatis putata cum veritate in re, n.419.

Affirmat veritatem ut plurimum inventam; & negat vix discerni posse apparentem à verâ, n.420.

Plures inconsequentia, & contradictiones circa inventionem veritatis in idiotis, & doctis, n.421. 422.

Affirmat neminem scire evidentem posse, se usum debita diligentia, & obligat ad evidentiam probabilioritatis, n.423.

Affirmat, & negat, quod opinio probabilis sit regula tuta, & formalis, n.424.

Negat licitum sequi alienam; & tucitur, quod Confessarius licite absolvat penitentem, etsi Confessarius iudicet sibi certissime, falsam esse opinionem penitentis, n.425.

Magna laxitas, ib.

N. 393. **P**rimo ait qu. 5. à n. 144. prudentiam aliquando putare se dictare verum practi-

cum in re, cum dicitur falsum in re; & tamen à n. 158. negat iudicium falsum, etsi certum, esse prudens; ait enim, certum, quod fuerit falsum in re, est tantum per accidens inspectum à prudentia, quæ tunc frustratur suo fine, & objecto.

Secundo ait qu. 5. n. 159. iudicium erroneum non esse simpliciter prudens, sed materialiter imprudens, etsi eliciatur à prudentia. Ecce contradictio: si enim à prudentia elicitur, est positivè, & simpliciter prudens; vel si non est tale, non elicitur, quia nullus habitus virtuosus elicit actus sibi oppositos. Rursus ecce alia contradictio: si enim, ut ait n. 156. repugnat ut idem iudicium sit practicè verum, & speculativè falsum; multo magis repugnat, ut prudentia eliciat, etsi per accidens, actum materialiter imprudentem sibi oppositum: ergo vel error speculativus materialis non nocet prudentia; vel si nocet, non est à prudentia: ergo est contradictio dicere, ut ait n. 158. quod solum verum in re sit objectum prudentia; & simul dicere, quod error materialiter imprudens sit elicitivè à prudentia, ut ait n. 159.

Tertio ait qu. 10. n. 20. Si facta debita inquisitione veritatis error non detegatur in conscientia, aut illa non est erronea, aut ejus error est inculpabilis; & tamen ait qu. 17. n. 9. per non inventionem legis, adhibitâ sufficienti diligentia pro eâ inveniendâ, non solvi dubium de existentia legis, sed aliud requiri præter non inventionem legis, ut solvatur dubium. Ecce ibi affirmabat post debitam inquisitionem veritatis errorem esse inculpabilem; hic negat post debitam inquisitionem legis errorem esse inculpabilem. Ita enim arguo: Error post debitam veritatis inquisitionem non detectus est inculpabilis: sed error de existentia legis post debitam legis inquisitionem non detectus, est error non detectus post debitam inquisitionem veritatis, nam ipsâ existentia est una veritas: ergo vel ut error post debitam inquisitionem veritatis sit inculpabilis, non satis est ea inquisitio veritatis, sed aliud requiritur; vel si ea est satis, ut error veritatis sit inculpabilis, etiam satis erit, ut error legis sit inculpabilis.

Quarto qu. 23. fusiè ait repugnare, ut utraque pars contradictionis sit eidem intellectui simul probabilis simpliciter, & absolute, licet non repugnet, ut sit simul probabilis secundum quid, seu remotè; quod idem repetit qu. 24. n. 5. & tamen qu. 24. num. 11. ait, assentiri utramque partem esse probabilem, seu probabilitati utriusque, nulla est contradictio, quia hoc est assentiri reflexè probabilitati utriusque, quod facere potest, & saepe

sepe facit, qui neutri parti assentitur dubitans de utraque. Ecce sepe idem intellectus iudicat utramque partem esse probabilem: ergo vel non repugnat, quod utraque pars sit eidem intellectui absolute probabilis; vel si hoc repugnat, repugnat etiam ut intellectus iudicet utramque partem esse absolute probabilem. Quod autem de probabilitate absolute loquatur, est certum ex *qu. 24. n. 12.* ait enim: Quando unus Doctor sua opinione alteri contradicit, aliquid affirmat, quod alter negat, alias ei non contradiceret: non negat autem istius opinionem esse probabilem, nec negat eam apparere veram, quantum est ex parte auctoritatis, & rationis qua probatur, sed precise negat veritatem illius, & eam impugnat: ergo iste non solum affirmat eam opinionem esse probabilem, sed etiam tenet, & affirmat esse veram. Et *n. 13.* ait: Supponamus casum, in quo uterque Doctor conveniat in probabilitate utriusque partis contradictionis; & tamen unusquisque litigat pro sua contra aliam, & suae adheret probabiliter, non evidenter, nam fatetur contrariam esse probabilem: interrogat, in quo mutuo litigant? in probabilitate? Minime, nam conveniunt in eo, quod utraque sit probabilis: ergo mutuo sibi contradicunt in veritate. Hac Palanco. Ecce ut merito impugnet non omnem propositionem probabilem esse modalem, supponit utrumque Doctorem probabiliter opinantem opposita, convenire in hoc, quod quilibet affirmet utramque opinionem contradictoriam esse probabilem; et si affirmans iudicet veram, affirmantem, & negans negantem: ergo evidenter Palanco docet contradictoria; nam *qu. 24. num. 12. & 13.* dicit cuilibet Doctore apparere probabilem utramque contradictoriam, nec aliud dicere potest, si probare velit non omnem probabilem esse modalem; & tamen *qu. 23.* fuse negavit utrumque contradictorium esse posse eidem intellectui simul simpliciter probabile. Rursum ecce alia contradictio; vult enim minus probabile in conspectu probabilioris esse probabile, & tamen negat omnem probabilem esse modalem; ergo vel omnis probabilior est modalis, si minus probabilis non manet probabilis; vel si probabilior non est modalis, minus probabilis manet probabilis retinendo suam probabilitatem, & unice amittendo suam veritatem, ut accidit in absolutis; praecipue cum ipse Palanco *qu. 5. n. 136.* dicat: Probabilitas potest inveniri sine veritate, & plura iudicamus signate esse probabilia, quae tamen censemus esse falsa, & dubitamus, an sint falsa, an vera.

Tom. II.

Quinto ait *qu. 5. n. 136.* obiectum prudentiae non exigere esse certum operanti certitudine omnino infallibili, sed solum certitudine morali, aut probabili maiori, vel minori iuxta possibilitatem materiae; & tamen dum *qu. 5. n. 159.* negat iudicium erroneum esse simpliciter prudens, velle videtur, quod esse debeat omnino infallibiliter verum in re.

Sexto ait *qu. 26. n. 71.* Opinio aequè probabilis solum est proximè dubitabilis, non autem proximè, & simpliciter probabilis, nec improbabilis; & *n. 72.* ait minus probabilem in occursum probabilioris esse proximè improbabilem, in hoc sensu, quod est indigna, ut ab intellectu approbetur; & tamen asserit licitum sequi tutiorem, aequè, aut minus probabilem: ergo qui assentitur tutiori aequè probabili, non assentitur opinioni probabili; & qui assentitur minus probabili, assentitur proximè improbabili: vel si tunc assentitur opinioni probabili, aequè probabilis non est simpliciter non probabilis; & minus probabilis non est proximè improbabilis.

Septimò ait *qu. 26. num. 115.* intellectum N. plus horrere attentum cum periculo proximo, & evidenti errandi, quam suspensionem assensus; & *n. 116.* ait: Nulla ratio prudenter dicat veritatem latere posse in parte minus, quam magis probabilis; & tamen ait *qu. 5. n. 136. & qu. 23. & 24. n. 12.* probabilitatem inveniri posse sine veritate, & plura iudicari probabilia, quae tamen censemus esse falsa, aut dubitamus an sint vera. Ecce triplex contradictio. Prima vel quod probabilitas sit semper unita veritati, quia nulla ratio prudens dicat veritatem latere posse in parte minus probabili; vel si probabilitas non semper unita veritati, potest ratio prudens dicere veritatem latere posse in parte minus probabili. Adde quod latere potest, est evidens, quod lateat, est longè aliud: ergo dum Palanco dicit, quod nulla ratio prudens dicat veritatem latere posse in parte minus probabili, dicit evidenter falsum. Secunda, vel veritas latere potest in parte minus probabili, vel si non potest, probabilitas, & veritas non sunt separabiles, quas tamen separabiles esse alibi affirmat, & est certum. Tertia, vel intellectus assentiri non poterit probabiliori, quia probabilitati saepe unitur falsitas, adeoque dabitur periculum proximum, & evidens errandi; vel si potest assentiri probabiliori, licet evidens sit, quod possit esse falsum, non datur periculum proximum errandi per eum assensum.

Octavo ait *qu. 28. n. 11.* dari in intellectu N. duas opiniones universales, vi quarum opus 400.

P ij sub

sub unâ ratione apparet probabilius illicitum, sub aliâ minus probabiliter licitum. Ecce concedit similitudinem duplicis iudicii, probabilioris de non licentiâ, minus probabilis de licentiâ; & tamen *qu. 23.* negat in eodem intellectu simul esse posse maiorem, & minorem probabilitatem; & alibi negat intellectum physicè assentiri posse minus probabili.

N. 401. Nonò ait *qu. 28. num. 65.* non esse licitum sequi minus tutam minus probabilem, quia eam sequens exponit se voluntariè periculo peccati materialis. Ecce contradictio. Ergo nec licebit sequi probabilioris minus tutam, quia cum possit esse falsa, exponit sequentem periculo peccati materialis, cum probabilitas, & veritas, immo securitas à peccato materiali separabiles sint, ut affirmat *qu. 5. n. 136. qu. 24. n. 12.* & certum est.

N. 402. Decimò ait *qu. 28. num. 82.* Quando inter oppositas non discernitur, quænam sit magis probabilis, non obligamus tunc ad iudicandum magis probabilem, sed ad suspendendum iudicium, & manendum in dubio, usque dum veritas aliquàlter appareat in unâ ex partibus contradictionis præ aliâ. Ecce 1. qualis sit probabilioritas, nam ait *aliquàlter*, & tamen *qu. 31.* ait debere esse notabiliter probabilioris. Ecce 2. quoties neutra apparet probabilior, obligat ad suspensionem iudicij; quod idem dixerat *qu. 21. n. 41.* & tamen permittit ut licitum sequi tutiorem minus, aut æquè probabilem.

N. 403. Undecimò ait *qu. 28. n. 85.* Nostra sententia unicè jubet vitare periculum proximum, aut probabile iudicandi de moribus contra veram Dei legem: & *n. 105.* ait peccatum formale non esse nisi tendentiam voluntariam in peccatum materiale, seu in opus, & objectum vetitum, quamvis vetitum: & *n. 110.* ait: Electio objecti ex se vetiti, quod probabiliter apparet operanti vetitum, est tendentia voluntaria in objectum, etsi reverà vetitum, adeoque est electio formaliter mala: & *n. 111.* ait: Implicat, ut intellectus firmâ sententiâ iudicet objectum esse honestum, dum in oppositum quatitur prudenti probabilitate, & probabili periculo de eo quòd sit vetitum, ut per se patet: & *num. 112.* ait: Si assensus præstandus opinioni minus, aut æquè probabili est falsus, reverà displicet Deo, & est lege æternâ vetitus; tùm quia error manifestè habet rationem peccati; tùm quia est contra veritatem, quam Deus summè amat, & præcipit; tùm quia contrariatur intellectui Divino. Ecce 1. numquam licebit sequi probabilioris minus tutam, quia tunc etiam est periculù probabile pec-

candi fortè materialiter, si detur lex, nam non-omnis probabilior est modalis. Ecce 2. qui putet opus esse vetitum, & non sit, non peccabit, quia peccatum formale non est nisi tendentia in objectum reverà vetitum; & tamen *qu. 16. n. 35.* ait: Ut lex Divina obliget, non requiritur, quòd realiter à parte rei existat, quia, ut dixerat *qu. 6. a num. 70.* lex non obligat physicè, sed tantum intentionaliter, ad quod non requiritur physica existentia legis, sed satis intentionalis, & objectiva, unde lex non existens à parte rei, existimativè tamen existens in conscientia erroneâ, obligat absolutè ad sui non transgressionem, ut ait Palanco: ergo sibi contrarietur, dum *qu. 28. num. 105.* ait: Peccatum formale nihil aliud est, quam tendentia in opus, & objectum vetitum, quamvis vetitum, seu in peccatum materiale: ergo vel debet apparere vetitum; & sic non peccat sequens minus probabilem; vel non debet, sed satis ut in re sit vetitum, & sic non licebit sequi probabilioris de licentiâ in re falsam. Ecce 3. nemo poterit assentiri probabiliori, nec tutiori minus probabili, quia implicat, ut intellectus firmè iudicet esse honestum, quod habet contra se prudentem probabilitatem pro vetito. Ecce 4. error non excusabit à peccato, si assensus præstitus sit falsus, quia error displicet Deo, nam peccatum non excusat à peccato; sed talis error est peccatum, quia est contra veritatem, & contrariatur intellectui Divino: ergo &c.

Duodecimò ait *qu. 28. n. 172.* loquens de N. sequela conscientie vincibiliter erroneæ, & 404 opinionis probabilioris fundantis illam, ait, inquam: Deus hanc nullâ lege præcipit, prohibet, nec permittit, quia sequela conscientie invincibiliter errantis nec est voluntaria, nec libera erranti; ergo non est capax legis. Ecce 1. confundit conscientiam invincibiliter errantem, quam habere, vel non habere non est liberum erranti, cum ejusdem sequela, quæ utique est libera & possum enim hodie non audire sacrum, quod conscientia invincibiliter errans dicitur mihi ut præceptum. Ecce 2. alibi dicit maius esse peccatum non obedire conscientie invincibiliter erranti, quam ei obedire: ergo ejus sequela est erranti libera: ergo sibi contradicit, dum hic ait non esse liberam, & ideo non dari legem; alibi autem dicit esse peccatum ei non obedire; ergo est liberum, & datur lex ei obediendi.

Decimotertiò ait *qu. 6. num. 10.* Lex, quæ N. non cognoscitur, perinde se habet, ac si non 405 esset in ordine ad obligandum; idem repetit *qu. 16. n. 35.* & *qu. 28. num. 75.* ubi ait legem Dei

Dei comprehendere, non tamen obligare invincibiliter ignorantes: & n. 176. ait legem limitari in obligando formaliter per ignorantiam, & errorem subditi. Chimericum tamen est, inquit, quod lex limitetur per errorem, & ignorantiam subditi, in præcipiendo, aut prohibendo. Ratio illius est, quia lex non obligat formaliter, nisi cognoscatur: ergo obligatio legis limitatur ab ignorantia, & errore subditi. Ratio hujus est; quia præceptiva non limitatur à cognitione, aut errore subditi: hæc Palanco. Mirabilis doctrina, quod lex quoad vim præceptivam non limitetur à cognitione, aut errore, limitetur quoad obligativam. Vel enim considerat vim præceptivam, ut est in re, & sic etiam considerat debet vim legis obligativam ut est in re; sicut autem cognitio non limitat vim præceptivam ut est in re, ita nec limitat vim obligativam ut est in re: vel considerat vim obligativam, ut est in mente operantis, & sic etiam considerat debet vim præceptivam, ut est in mente operantis: sicut autem vis legis obligativa ut est in mente operantis limitatur à cognitione, & errore; ita etiam vis legis præceptiva, ut est in mente operantis, limitatur à cognitione, & errore; & ideo omnes, & ipse Palanco *qu. 6. n. 70.* asserit, quod si quis putet ex errore præceptum existeret, & non existat, si contra id operetur peccabit: ergo vis præceptiva, sicut ampliatur ab errore, ex. gr. quando puto ex errore dari in re præceptum, & non datur, tunc vis præceptiva ampliatur ab errore; ita e contra vis præceptiva limitatur ab errore, ex. gr. quando ex errore puto non dari, & tamen datur: ergo præter falsitatem includit contradictionem, dum ait *qu. 28. n. 176.* legem in præcipiendo non limitari ab errore, & simul ait *qu. 6. n. 70.* præceptum ampliari ab errore.

Decimoquarto ait *qu. 28. num. 180.* solam Dei legem directam, directè respicientem objecta, esse primam regulam morum; & tamen *qu. 16. n. 35.* ait, quod ut lex Dei obliget, non est necesse, ut à parte rei existat, sed satis ut intentionaliter tantum. Ecce in hoc casu, quo quis putat ex errore dari legem Dei directam, & non datur, homo obligatur, non à lege Dei directà, quia hæc non datur, ergo à lege, quæ non datur à parte rei: ergo sibi contradicit, dum ait solam Dei legem directam esse primam regulam; loquitur autem de lege Dei directè verà, & non per errorem fictà; nam eadem *qu. 28. n. 181.* ait, veram Dei legem esse solam primam regulam.

Tom. II.

Decimoquintò ait *qu. 28. à n. 268.* inter probabiles non oppositas licitum sequi minus probabilem, non inter oppositas: ex. gr. Licet eligere inter has, *Licet sumere collationem octo unciarum, licet sex;* non autem inter has, *Licet cum octo, non licet cum octo.* Ecce 1. omnia ejus argumenta de sequendâ probabiliori, de non ampliandâ libertate, de nõ probabilitate minus probabilis, stante probabilitate oppositæ, de impotentia physicâ intellectus, ut assentiatur minus probabili, in totum ruunt; nam ea opinio, *licet cum octo,* etsi sit probabilior sibi oppositâ, *non licet cum octo,* est tamen minus probabilis omnibus his, *licet cum septem, cum sex, cum quinque:* ergo sicut ea, *non licet cum octo,* non manet probabilis, immò manet non probabilis in occursum hujus probabilioris, *licet cum octo;* ita à pari hæc, *licet cum octo,* manebit non probabilis in occursum harum, *licet cum septem, cum sex, cum quinque:* ergo fallum evidenter est, quod intellectus nec physicè, nec licitè assentiri possit minus probabili. Nec refert has, *licet cum octo, licet cum septem,* non opponi, esto enim non opponantur, non facit unam non esse veriorum aliâ; nec facit, quod quælibet non sit probabilis, imò quælibet est probabilis. Si ergo, etsi una sit verior aliâ, potest intellectus physicè, & licitè assentiri minus verè inter non oppositas; ita etiam inter oppositas. Similiter si inter non oppositas probabilitas non facit minus probabilem non esse probabilem, ita hoc idem accidet inter oppositas. Confirmo, & suppono hæc, *licet cum novem uncijs,* esse improbabilem, & ita arguo: Magis distat hæc, *licet cum octo,* ab hæc, *licet cum quatuor,* quàm hæc, *licet cum novem,* ab hæc, *licet cum octo:* & tamen hæc, *licet cum octo,* manet probabilis in conspectu duplo probabilioris; non autem hæc, *licet cum novem,* manet probabilis: ergo à pari, etsi duarum oppositarum, *Licet pingere die festo, Non licet pingere die festo;* (suppono utramque certo probabilem, ita ut negativa sit magis probabilis) probabilitas sit opposita, & inæqualis, adhuc poterit utraque manere probabilis. Quod si dixerit probabilitatem hujus, *licet cum quatuor,* non opponi probabilitati istius, *licet cum octo;* quæro prius cur probabilitas hujus, *licet cum octo,* opponatur probabilitati istius, *licet cum novem,* immò probabilitatem ab hæc excludat? Deinde dico opponi; nam quæ asserit, *licet cum quatuor,* negat licere *cum octo.* Rursus dico probabilitatem non opponi probabilitati, aliàs esset certitudo.

Decimosextò ait *qu. 28. n. 281.* Numquam assero opinionem minus, aut æquè probabilem

P iij

bilem

bilem suâ contradictoriâ esse tutam, aut re-  
ctam conscientiæ regulam, sive stet pro le-  
ge, sive pro libertate; immò durante mino-  
ri, aut æquali probabilitate, omnis ea opinio  
est incepta ut quis juxta aliquâ earum formet  
conscientiam. Hinc stans inter duas equè  
probabiles, unam pro libertate, ex. gr. *Li-  
cet pingere*; aliam pro lege, ex. gr. *Non licet  
pingere*, neutri credit, & neutram sumit in  
regulam; & dum omittit picturam, dirigitur  
à tertiâ opinione dicente, *Licet non pingere die  
festo*. Idem ait, quando una opinio dicit opus  
esse de præcepto, alia negat; si enim sint  
æquè probabiles, neutram tenetur quis acce-  
ptare in regulam, sed solum aliam tertiam,  
quæ dicit: *Sive opus sit de præcepto, sive non,  
quod mihi est dubium, certum mihi est esse lici-  
tum tale opus exercere*. Ratio est; (ait n. 284.)  
quia licet in sequendo equè, aut minus proba-  
bili pro lege nullum sit periculum peccâ-  
di per voluntatem, est tamen periculum er-  
randi intellectualiter, quia potest esse falsa.  
Ecce 1. verum omnino esse, quod dixi hæc  
*disp. 11. n. 316. & 317.* quod obligant sem-  
per ad judicium directum circa quæstionem,  
& dum respondent, dicunt suspendi  
posse judicium directum circa eandem. Ecce  
2. contradictio; quia *qu. 34. n. 25.* ait: Ver-  
um est, quod opinio probabilis est regula  
tuta morum, vel conscientiæ: ergo dicere  
non potest, ut dicit *qu. 28. a num. 281.* quod  
opinio minus, aut æquè probabilis, etsi stet  
pro lege, non sit regula tuta conscientiæ.  
Ecce 3. alia contradictio; dum enim ait,  
*Sive opus sit de præcepto, sive non, quod mihi du-  
bium est, certum mihi est, licitum esse tale opus  
exercere*; & simul dicit posse hoc acceptari  
pro regulâ, eo ipso concedit, quod in dubio  
an opus sit præceptum, certum mihi sit,  
licere mihi tale opus exercere: ergo conce-  
dit in dubio de existentia legis, quoties utra-  
que opinio est æquè probabilis, me licitè  
posse tale opus exercere. Addo illud judi-  
cium posse esse certò falsum: fac enim ut  
quis dubitet, an Deus hodie præceperit, ut  
deseram religionem, potero formare hoc  
tertium judicium, Certum mihi est, esse li-  
citurum talem egressum; & tamen illud judi-  
cium est certò falsum: ergo vel non teneor  
suspendere judicium pro æquè, aut minus  
probabili stante pro lege; & tamen, ne  
errem, ad hoc obligat, seu ad suspensionem:  
vel etiam hoc tertium judicium suspendere  
debeo, *Certum mihi est licere tale opus dubiè  
præceptum*.

N. 409. Decimoseptimò ait *qu. 28. n. 405.* quod si  
datur lex naturalis, implicat dicere non esse  
fatis intimatam; & tamen *qu. 28. n. 393.* sup-

ponit, quòd ut lex obliget, satis sit, ut exi-  
stative; immò, ut ait *n. 396.* satis ut dubi-  
tative, aut probabiliter existat. Ecce lex, quæ  
in re non existit, sed tantum in mente obli-  
gat: si autem ex errore possum concipere ut  
existentem legem, quæ non existit, cur non  
etiam potero ex errore concipere ut non exi-  
stentem legem, quæ in re existit? Ergo tunc  
dabitur in re lex naturalis, nec tamen erit  
fatis intimata. Addo, quod si omnis lex na-  
turalis in re existens est satis intimata, eo  
ipso obligabit; sed hoc est certò falsum, quia,  
ut ait *qu. 28. num. 176.* lex limitatur in obli-  
gando formaliter per ignorantiam subditi:  
ergo datur lex, nec est satis intimata.

Decimoctavo ait *qu. 28. n. 435.* se non N.  
obligare, ut quisque discernat inter proba-  
biliora, sed tantum, usque dum hoc cogno-  
scat, sequatur tutius. Ecce obligat ad tu-  
tius sequendum, quoties probabilior non  
discernitur; & tamen à *num. 283.* docuerat,  
Quoties utraque est æquè probabilis, suspen-  
dendum judicium etiam circa opinionem  
stantem pro lege, seu tutiorem, ne erret in-  
tellectualiter: ergo *n. 435.* obligat tunc ad  
tutius, & *n. 283.* deobligat à tutiori.

Decimonono ait *qu. 28. n. 447.* de perfe-  
ctione legis esse solum, quòd per se attendi na-  
tura subditi, & assistentiâ Divinæ gratiæ, ple-  
rumque, & ferè in omni casu sit possibilis ejus ob-  
servantia a quocumque subdito, licet cum diffi-  
cultate. Ecce aliquid longè maius contradi-  
ctione; si enim non requiritur, ut lex sit  
semper, sed tantum ut sit plerumque cum  
Dei gratiâ observari possibilis, sequitur,  
quòd poterit aliquando homini volenti, &  
conanti, & cum Divinæ gratiæ assistentiâ  
esse aliquando observatum impossibile. Hoc  
autem an sit Catholicum, facile videri po-  
test. Vide quæ dixi *d. 11. n. 111.*

Vigesimo ait *qu. 28. n. 458.* Finis à Deo N.  
nobis destinatus est servire, & placere Deo 412  
in veritate, & servare veram Dei legem, &  
vitare peccatum materiale *re ipsâ, & cum as-  
sistentiâ*; & tamen *n. 460.* ait: Quando eligitur  
peccatum materiale, ipsâ electio ejus ope-  
ris, & ipsum opus, quòd est peccatum ma-  
teriale, cum sit re ipsâ contrarium legi Dei,  
& ejus voluntati, displicet Deo, & est con-  
tra Dei obsequium; licet quando excusatur  
à culpâ propter bonam intentionem, tunc  
talis displicentia Dei sit involuntaria ope-  
ranti; ex parte autem intentionis non displicet  
Deo, sed potius ei placet. Ecce 1. si finis  
est vitare non tantum cum affectu, sed *re ipsâ*  
peccatum materiale, temper tenebimur ad  
tutiorem, & numquam licebit nobis eligere  
probabiliorem, nec moraliter certam, si sit  
minus

minus tuta, quia forte dari potest peccatum materiale contra legem; & tamen hoc per eum licet: ergo vel non tenemur vitare re ipsa peccatum materiale; vel si tenemur, non erit licitum sequi probabiliorem falsam in re, stantem pro libertate contra legem. Ecce 2. intentio eligentis ex opinione sibi probabiliori peccatum materiale non displicet, immo placet Deo, etsi opus, quia est peccatum materiale, displiceat Deo; immo talis displicentia Dei est involuntaria operanti; hæc autem imbibunt contradictionem; nam electio probabilioris est voluntaria operanti, quia potest eligere tutiorem; ergo etiam ea displicentia talis erit; vel si hæc non est, quia eligitur probabilior contra legem, neque erit minus probabilis, & minus tuta electio. Ecce 3. vanas ejus declamationes; potest enim sancta, & honesta esse intentio, nam placet Deo, tendens in opus materialiter malum.

Vigesimo primo ait *qu. 29. n. 6.* Periculum judicamus in judicio de moribus utrumque esse, sive errare pro lege, sive pro libertate. Ecce neque tenebimur ad tutiorem, quando non apparet probabilior, cujus obligationem affirmaverat *qu. 28. n. 435.* quia est periculum errandi contra libertatem; neque licitum erit sequi minus tutam probabiliorum, ut docuit *qu. 28.* quia est periculum errandi contra legem.

Vigesimo secundo ait *qu. 29. n. 22. 26.* 27. viam probabilitatis in quocumque gradu maioris, aut minoris esse viam ad perditionem, cum quælibet probabilitas, etsi maior, convenire possit utrique contradictorio; non autem veritas, quæ est via ad vitam; & tamen *n. 36.* ait: Non ergo quælibet probabilitas in quocumque gradu est regula infalibiliter excusans a culpa; hoc igitur, & nihil aliud nos docemus. Ecce per hæc ultima verba asserit non omnem probabilitatem excusare; & tamen per priora asserere visus est, nullam excusare; nam dixerat, quod via probabilitatis, sive maioris, sive minoris, non est arctata secundum regulam legis, sed multo amplior, & latior: sed sola via arctata secundum regulam legis, juxta D. Thom. est, quæ ducit ad vitam: ergo via lata secundum probabilitatem, sive maiorem, sive minorem in quocumque gradu, est, quæ ducit ad perditionem. Ecce per hæc verba non tantum negat minorem probabilitatem esse viam legis, sed etiam negat, quod maior probabilitas sit via legis: tum quia, ait *num. 27.* quod sola veritas est via, & quod probabilitas latius pateat, quam veritas: sed non tantum minor, sed etiam maior probabilitas la-

tius patet, quam veritas: ergo non est via ad vitam. Ecce denum, quod dum ait, quod probabilitas, sive maior, sive minor in quocumque gradu ducit ad perditionem, incidit in tertiam damnatam ab Alex. VIII. nempe, quod probabilissima non liceat, nec excuset a peccato formali; omne autem quod ducit ad perditionem, est peccatum formale: ergo dici non potest, quod probabilitas maior in quocumque gradu ducat ad perditionem.

Vigesimo tertio ait *qu. 29. n. 166.* se non obligare semper ad tutiorem; & *n. 243.* non satis esse quamlibet maiorem probabilitatem, sed tantam, ut opposita sit tenuis, & per modum scrupuli; & tunc probabilior est certa moraliter. Vult igitur necessariam certitudinem moralem, ut honestè rectè operemur. Ecce impossibile in opinionibus classicis incertis. Sanè si tot dicerent Cæsarem non fuisse Romæ, quot affirmant fuisse, illud non esset moraliter certum; quod idem dico de aliis, quæ assumuntur ut moraliter certas ex gr. Petrum esse baptizatum, esse filium Pauli, Hostiam A esse consecratam; si, inquam, tot darentur pro parte negante DD. & rationes, quot pro parte affirmate dantur, nullum eorum esset moraliter certum: ergo Palanco, Gonet, Fagnan. nisi per summam illusionem dicere potest, opinionem sibi probabiliorem esse moraliter certam, cum pro opposita stare possint æquales DD. & rationes.

Decimo quarto *qu. 30. n. 27.* ait, quod si nostra reflexa pro libertate sit moraliter nobis certa, nullum est periculum eam sequi; si autem sit tantum probabilis, ita ut reflexa pro lege sit etiam probabilis, erit periculosum. Sed contra; quia nunquam Palanco pro aliqua sua opinione directâ inter DD. classicos incertâ, trahere poterit tot, & tales DD. & rationes, quot nos pro nostra sententiâ reflexâ: ergo si tantum sibi plaudit de cujuslibet propriæ opinionis particularis probabilitate, ut quamlibet vocet moraliter certam, concedat nobis, ut nostram reflexam longè maiori jure dicamus moraliter certam.

Vigesimo quinto ait *qu. 31. n. 7.* repugnare ut eidem intellectui sit simul probabile simpliciter, & absolute utrumque contradictorium; & tamen *qu. 39.* ait: Tripliciter potest Doctor unam sententiam docere: primò purè docendo eam esse probabilem, & nihil aliud; & hoc pacto potest utramque oppositam sententiam docere simul, dicendo utramque partem esse probabilem, quo pacto docet aliquid certum. Ecce *qu. 39.* docet hoc esse certum; & *qu. 31.* docuit hoc repugnare.

N. 413.

N. 411.

N. 414.

N. 417.

N. 415.

Palanco, Gonet, Fagnan.

N. 416.

N. 417.

N. 418. Vigefimolextò ait *qu. 31. n. 18.* malè tò tenuiter probabile interpretari à P. Cardenas pro dubiè probabili; & tamen ipse Palanco passim ait, quod si una est mihi probabilior, alia non est mihi probabilis, nisi tenuiter, & per tenuiter probabile intelligit non probabile; immò per probabilius intelligit unicè probabile, & per minùs probabile, non probabile; plus autem est taliter interpretari: ergo vel retractet suum modum loquendi, vel non impugnet.

N. 419. Vigefimoleptimò ait *qu. 32. num. 1.* veritatem in dubiis moralibus ut plurimùm esse invenibilem, quia, ut ait *n. 2.* nullus est, qui post diurnam diligentiam in examine dubij moralis non teneat aliquam partem ut veram: ergo putat se invenisse veritatem: ergo dicere non potest non esse invenibilem. Ecce 1. aliud est quòd putet se invenisse, aliud quòd invenerit. Ecce 2. aliud est quòd sit invenibilis, aliud quòd sit inventa. Ecce 3. quòd cum uterque Doctor contradicens putet se eam invenisse, uterque verum in re dicet, quòd implicat. Hæc omnia confundit Palanco, & probabile cum vero, ut dixi *d. 5. num. 1.*

N. 420. Vigefimooctavò ait *qu. 32. n. 5.* opus esse maiori conatu pro veritatis invètionè, quàm pro bonis temporalibus; & *n. 6. & 9.* obligari nos à lege naturali ad voluntatem purgandam à passionibus, ut eam invenire possimus; & *n. 12.* ait Deum orandum; & *n. 13.* quærens quanta, & qualis oratio sit ex obligatione necessaria; an pro omni dubio, an specialis, an generalis, non facile ostendi poterit. Subdit orationem generalem illis verbis contineri, *Fiat voluntas tua; Panem nostrum quotidianum da nobis*, & hanc satis esse rustico. Tandem ait loquens de mensura orationis specialis, aliam assignari non posse, quàm quæ assignatur pro aliis salutaribus, nempe prudentum æstimationem. Hæc Palanco, qui ad plurima obligat, ad quæ plerique regulariter non obligant. Sed venio ad contradictoria; nam *num. 16.* ait, rarò adesse signa infallibilia ad cognoscendum in singulari veram honestatem ut ab apparenti distinctam; unde signa competentia, quibus dijudicare debemus inter veram, & apparentem honestatem, potissimè in singularibus agibilibus, sunt, signa probabilia, quibus tantùm probabiliter, aut moraliter certificari possumus de vera honestate, præ falsa; & ita sentire communiter Antiquos. Ecce *num. 1.* dixerat veritatem ut plurimùm esse invenibilem, imò esse inventam à quolibet diligenti; & modò dicit vix posse discerni veram ab apparenti honestate. Ecce 2.

dat certitudinem moralem, etsi non infallibilem, de veritate inventa, utrique Doctori contradicenti, & quidem in omni opinione, quod mihi prorsus est incredibile, vix enim aliquando accidet, ut in re prorsus incerta, & valdè inter DD. dubia detur certitudo moralis in utroque contradicente.

Vigefimonono ait *qu. 32. n. 20.* illiteratos facile inquirere veritatem in dubiis moralibus interrogando sapientes; & *n. 22.* ait debere consulere, qui sibi sapientiores videntur, quando commodè possunt; & *n. 23.* quòd si rusticus nesciat discernere sapientiores, aut magis timoratos, non tenetur unum præ alio consulere, sed quosque consulere potest; immò satis ut unum, aut plures juxta gravitatem dubij; & postea ejus, aut eorù consilio stare, dummodo de aliorum contradictione ei non constet. Ecce 1. sapientibus est difficilis inventio veritatis; idiotis facilis; quomodo enim idiotæ facile eam invenient interrogando sapientes, qui eam difficulter inveniunt? immò quomodo inveniet sapientem, si sapientia à veritate pensanda est? Rursus cum inter sapientes sit contradictio, quomodo derminatè, & certò moraliter inter contradicentes veritatem invenient? Ecce 2. obligat idiotas, quando commodè possunt, consulere sapientiores; at quomodo hoc commodè possunt, cum inter eos certò moraliter discernere non possint? Ecce 3. quòd *n. 5.* ad maiorem sollicitudinem omnes homines obligaverat pro inventione veritatis, quàm pro omni re temporali; & modo *n. 22.* obligat rusticos tunc tantum, quando commodè possunt, interrogare sibi sapientiores. Ecce 4. quid intelligit per *commodè*? vel enim rusticus tenetur ad maiorem sollicitudinem pro sapientiori inveniendi, quàm pro re temporali, hoc autem non potest fieri commodè; vel non tenetur? & sic falsum quòd dixit *n. 5.* de obligatione sollicitudinis; & rursus rusticus cæco impetu sequetur sibi sapientiorum. Ecce 5. quòd *num. 23.* permittit rustico, quoties nescit discernere inter sapientiores, & nescit, quòd datur alijs contradicentes, ut unum sequatur; quæro modò, an hæc sit inventio veritatis, & quidem moraliter certæ. Ecce *6. n. 37.* loquens de obligationibus Magistrorum pro inventione veritatis, tor onera eis imponit, ut vix tempus supereffe possit ea implendis; immò ait plures ex Magistris esse ineptos, & non tantum eos, sed etiam illos, qui tali ministerio præficiunt, peccare. Sane si tor inter Magistros sunt inepti, & ex aptis non omnes sunt sapientiores, quomodo miser rusticus nisi oculis clausis sapientiores inveniet?

Trige-

N. 422. Trigesimo ait *qu. 32. n. 40.* quod ea verba, facta debita, & exacta diligentia pro veritate inveniendâ, quæ sæpe inculcat, non significant nisi diligentiam in hæc *qu. 32.* exponitam, loquendo respectivè ad cujuslibet statum; ita ut si quis inveniatur in dictâ diligentia culpabilis, & inde sequatur error in opinione, aut conscientia, juxta culpam negligentia, & ignorantia, erit culpa in sequenti opinione, aut conscientia, quantumvis probabilior appareat; si tamen dictâ diligentia usus fuerit, excusabitur à peccato sequendo conscientiam, aut opinionem longè probabiliorē inde resultantem. Sed contra; quia eâ *qu. 32. num. 14.* cum fateatur assignari non posse mensuram specialis orationis; immo tot, & tam ardua necessaria sint ad eam diligentiam, hinc est, quod ea tanta diligentia, ad quam obligat, videatur moraliter impossibilis: ergo plerumque opinio alicui probabilior, erit talis ex culpa, seu ex ignorantia vincibili.

N. 423. Trigesimoprimum ait *qu. 33. n. 18.* Quis purus viator scire poterit evidenter se fecisse exactam diligentiam pro veritate inveniendâ? & *n. 19.* Quis sciat omnino infallibiliter designare quantam diligentiam adhibere debeat? Ecce tam difficultis est inventio veritatis, quam evidenter scire mensuram diligentia adhibendam, & quam difficile est iudicium evidens de exactâ diligentia adhibita. Quomodo ergo obligat ad evidenter probabiliorē, cum hæc evidentia sit impossibilis viatori? Quomodo *qu. 32. n. 1.* ait veritatem in dubiis moribus esse ut plurimum inveniibilem; & *n. 20.* ait idiotis facilem esse veritatis inquisitionem, cum veritas patere debeat saltem per evidentiam probabilioritatis impossibilem? Sanè hæc sibi contradicunt, præcipue cum dicat *qu. 31. n. 2.* quod ut opinio pro libertate sit licita, non satis, quod alius sit probabilior, & ut talis vulgariter habeatur; sed necesse ut sit probabilior operanti.

N. 424. Trigesimosecundo ait *qu. 34. num. 5.* quod sola veritas, seu vera Dei lex sit regula prima, & objectiva morum; & quod opinio probabilis sit regula tuta, & formalis morum, vel conscientia; & tamen negat esse regulam formalem, nisi sit vera, ut repetit *n. 9.* & ait opinionem probabiliorē falsam esse rectam regulam quoad nos, seu existimativè, & sufficienti certitudine, non quoad se.

N. 425. Trigesimotertiò ait *qu. 35. n. 1.* Propriam quique semper existimat oppositâ probabiliorē; & *n. 26.* ait Prælatum non posse jubere contra propriam opinionem; & *n. 25.*

ait consultum non posse remittere interrogantem ad alios, quorum sententiam putet falsam; & tamen *qu. 36. num. 18.* ait, quod Confessor possit absolvere pœnitentem judicantem suam opinionem esse veram, etsi Confessor sciat eam esse certissimè falsam; quod idem repetit *num. 27.* dicens: Confessarius, quamvis credat opinionem pœnitentis esse falsam, potest eum absolvere, dummodo pœnitens bonâ fide credat opus esse licitum. Et alia valde mirabilia dicit; etenim si dissentitur *qu. 35. n. 2.* & merito illis, qui dicunt Doctorem consultum respondere posse juxta opinionem aliorum sibi improbabilem, & hoc vocat laxitatem; non video quomodo non sit laxitas, ut Confessarius juxta opinionem sibi certissimè falsam absolvat licite pœnitentem. Hoc tamen contra me non urget; judico enim, quod Confessarius non possit absolvere pœnitentem, si Confessor judicat opinionem pœnitentis non tantum esse falsam, sed etiam sibi improbabilem, etsi pœnitens eam judicet probabilem.

Demum alia contradictoria dedi *d. 10. sect. 3. §. 7.* per totum.

## §. VIII.

*Contradictiones, & inconsequentia M. Gonetti.*

## SUMMARIUM.

*Concedit licitum in Scholis defendere quamlibet opinionem moralem etiam minime probabilitatis, n. 426.*

*Magna laxitas, ibid.*

*Affirmat, & negat, tutum, & probabile idem esse, n. 427.*

*Confundit conscientiam falsam cum malâ, & sibi contradicit, n. 428.*

*Alia confusio, & inconsequentia, n. 430.*

*Mirabilis quantitas certitudinum moralium pro quantitate omnium suarum opinionum; & nulla certitudo moralis nostre sententia, num. 431.*

*Affirmat, & negat requiri evidentiam moralem, ibid.*

*Affirmat, & negat, aliquid minus probabile intrinsece fieri posse extrinsece certum, n. 432.*

*Inconsequentia, n. 433.*

*Si minor probabilitas eliditur à maiori, etiam minor securitas à maiori, n. 434. & 435.*

*Inconsequentia, n. 436.*

*Mirabiles sequela, si minus probabile non est probabile, & minus bonum est malum, n. 437.*

*Obligat, & non tantum permittit, sequi minus tutam probabiliorē, ita ut sit illicitum sequi tutiorem minus probabilem, n. 438.*

*Si minus tutum non est tutum, si minus probabile non est probabile, homo stans inter duas,*